DE

GASTRITIDE CHRONICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Augustus Scholl,

RHENANO-BORUSSUS.

Opponentibus:

F. COBET, med et chir. Dd.

W. THUR, med. et chir. Cand.

H. WERKMEISTER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

Typis Fratrum Schlesinger.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

HISTORIA MORBI.

Hippocrates1), ventriculi affectiones commemorans, non satis ccurate, si diagnosticen spectas, de iis disseruit, quippe quas re omnes ad καρδιαλγίαν aut καρδιωγμὸν 2) referebat. Gano 3) autem, sagaciter de ventriculi morborum chronicorum ausis agenti, gastritidem chronicam, vergentem ad induratioem, (χρονιζούση δὲ φλεγμονὴ καὶ σκληρυνομένη) ob oculos veratam fuisse, dubitari non potest. De tumoribus etiam erysielatodibus vel phlegmonodibus, de ulceribus et abscessibus

---

1) Coac. Praenot Sect. III. 21.
De morb. L. I. cap. 12.

2) Galenus, de Hipp. et Aristot. placit. L. II. c. 8.
Commentar. in aphor. sect. IV. Nr. 75.

3) De compos. med. Sec. loc. L. VIII. cap. 1.

ventriculi loquitur, quum ait: ὄγκοι φλεγμονώδεις ἢ ἐρυσιπελατώδεις, ἕλκη, ἀποστήματα 1). Aretaeus inflammationem, rheumatismos, cardialgiam et dolorem, ventriculi morbos chronicos designat. (De sign. morb. chron. lib. II, cap. 6. στομάχου χρονίη νοῦσος, φλεγμοναί δὲ καὶ ῥεύματα καὶ καρδιωγμός, ἢ πόνος.) Coelius Aurelianus 2) et inprimis Celsus 3) jam accuratius de ventriculi morbis disseruerunt. Quamquam et illi antiquiores et recentiores omnes scriptores ad initium usque hujus saeculi de acuta quidem gastritide multa scripserunt, ejus tamen gastritidis, quae proprie vocatur chronica, mentionem non fecerunt. Quod mirum profecto, quoniam chronicos morbos ventriculi acutis esse frequentiores, inter omnes constat. Anatomia vero praecipue pathologica, antiquioribus medicis fere ignota, hoc saeculo quam maxime culta et elaborata, morbis ventriculi cognoscendis multum lucis attulit.

Priusquam aggrediar morbum fusius describendum, eos praemittam, necesse est, libros, in quibus de gastritide chronica uberius disputatur.

Fr. C. Pohl. Diss. sistens collectanea quaedam de gastritidis morborumque, qui eam sequuntur, pathologia. Leipzig 1822.

Alex. Pujol. Oeuvres de médecine practique ed. par Boisseau. Paris 1823. Tom. IV.

J. Wendt. Die alte Lehre von den verborgenen Entzündungen. Breslau 1826.

---

1) De locis affect. lib. IV. cap. 6.

2) Morb. chron. L. III. cap. 2.

3) De med. L. IV. cap. 5. De stomachi vitiis.

Krukenberg, über die chronische Magenentzündung; in :essen Jahrb. Der ambulator. Klinik. B. II. p. 253—324. Halle :824.

Larroque, Remarques et observations sur la gastrite hronique. (Nouv. bib. méd. 1828. Févr. p. 205).

Broussais. Histoire des phlegmasies ou inflammations hroniques. Paris 1822.

J. Armstrong. The morbid anatomy etc. London 1828. 'asc. I. II.

J. Abercrombie. Pathol. Unters. über die Krankh. des Magens etc. Bremen 1830. pag. 15—67.

Ch. R. Pemberton. Prakt. Abhandl. über verschied. Krankh. der Abdominal-Eingeweide. Uebers. Gotha und Erurt 1818.

Lesser. Die Entzündung und Verschwärung der Schleimaut des Darmkanals etc. Berlin 1830.

SYMPTOMATA.

Gastritidem chronicam, quam priorum saeculorum medici ro morbo rariore habuerunt, cum multis aliis ventriculi affetionibus, tum nervosis, tum organicis saepenumero esse conusam, vix est dubitandum. Sic nostra aetate C. W. Hufeand 1), qui statum ventriculi inflammatorium chronicum negavit, uem potius congestivum esse affirmavit, gastritidis chronicae,

---

1) Enchiridion medicum oder Anleit. zur med. Praxis. erlin 1836. pag. 179.

quae cardialgia sanguinea esset vocanda, nomen rejecit. Saepissime tam obscure decurrit, ut occultis inflammationibus 1) possit adnumerari, ejusque symptomata haud raro spasmum aemulantur, ita ut facile medicum, non attentum, fallere possint. Subito quidem gastritis chronica exoriri non solet, quum vel acutam vel subacutam gastrititem (id quod rarius accidit) sequatur, aut primaria enascitur causis sensim - sensimque agentibus. Gastritis chronica, si acutam praegressam consequitur, plerumque indicatur acutae gastritidis crisibus imperfectis, aut ex toto deficientibus, dolore, vomitu, aliisque corporis vegetationis perturbatae symptomatis, quae non recedunt ac desinunt. Si vero gastritis chronica non ex acuta, sed aliis e causis orta est, ejus symptomata exigua plerumque apparent et difficilius in sensus cadunt, ita ut saepissime non nisi ex sequelis earumque effectibus gastritidem chronicam praegressam cognoscere possis. At non haec inflammatio sola, sed etiam morbi inde profecti gravissimi, post mortem inventi, dum vivus erat aeger, nulla symptomata essentialia exhibuerunt, id quod casu, a Dr. Heymann 2) observato, comprobatur. Ad morbi nostri diagnosin statuendam signa pathognomonica, ut ajunt, frustra quaeris. Symptomata enim ad inflammationis sedem, gradum, causas multum differunt. Permagni dolor habendus est, qui saepe in regione pylori, saepius vero in cardia sensiliori partium ventriculi, sentitur. Dolor, certo loco circumscriptus raro invenitur, sed aut ad oesophagum, dorsum, humerumque adscendit, aut ad hepar et thoracis partem anterio-

---

1) Naumann. Handbuch der med. Klinik. Berlin 1834. Bd. IV. Abtheil. I. pag. 411.

2) Medicinische Zeitung. 1832. Nr. 1 .

em sese extendit. Secundum vehementiam suam et moram alde est diversus. Galenus 1) ventriculi dolorem rodentem enotat, cum nausea et satietate conjunctum (γίνονται δὲ καὶ δήξεις ἐν αὐτῷ τονες καὶ ἀσώδεις διαθέσεις). Hic vero dolor rdens degenerationem ventriculi e gastritide chronica exortam omitatur. In morbo nostro enim, cum incipit, dolor mitis, premens, obtusus, tensus, cum autem procedit, lancinans aut pungens esse potest. Si post coenam redit et post cibos digestos erdurat, aegroti cibis parciter sumendis, ne dolor, qui ventriulo vacuo recedit, oriatur, cavere student. Dolor, qui inunte morbo minus, procedente morbo magis augetur pressione, aepe post incerta intervalla redire, remittere, aut desinere otest, ita ut non nisi sensus obscurus quidam gravitatis et nxietatis praecordialis aegros vexet. Interdum dolorem fixum, rementem et in circuitu constringentem, pungentem et urentem n epigastrii loco aliquo minoris ambitu et praecipue in latere lextro existere, Naumannus 2) auctor est. Post tales doloris accessiones, per aliquot hebdomades saepe permanentes, aud raro aegri per hebdomades et menses a dolore plane unt liberi. Saepius dolor per pressum vehementem, per potus piritnosos, per cibos acres et remedia irritantia vehementer ncrescit, prono vero corpore et vola manus epigastrium plane remente imminuitur. Etiam globuli sensus, ventriculi regionem rementis, aegros saepenumero vexat 3).

---

1) De comp. med. sec. loc. l. VIII. Cap. I.

2) L. c. Bd. IV. Abthlg. I. pag. 414.

3) F. A. G. Berndt. Die Lehre v. d. Entzünd. nach dem etzigen Standpunkte der med. Erfahrung. Greifswald 1838. 3d. II. Abtheil. II. pag. 764.

Ventriculi actio, quae per gastritidem chronicam perturbari solet, haec plerumque exhibet symptomata. Appetentia ciborum valde inconstans et, quod ut plurimum accidit, diminuta; lingua sicca, aspera, muco albido, vel subflavo vel fusco tegumento obducta, aut pura et rubra; sitis adaucta; sapor varie alienatus, et acidus et amarus; nausea, ructus, vomiturítiones, ipse vomitus, qui alimentorum ingestionem ocius sequitur, si regio ventriculi cardiaca, serius autem, si pylorica est correpta inflammatione. Saepenumero aegri, qui adaucta secretione succi gastrici, nimis acris, laborant, quamquam ciborum appetentia normali non gaudent, tamen ventriculo cibis impleto melius se habent. Auctore Berndt 1) haec succi gastrici secretio vitiata gastritidem chronicam semper comitari et ipse succus gastricus valde acidus et acer, imo quasi rancidus inveniri solet. Haec inordinata secretio s. pyrosis a multis medicis signum peculiare et singulare morbi nostri habetur. Sic Pemberton 2) mentionem facit aegri cujusdam, qui quinquies per diem vas, quod Germani vocant Noesel, liquoris albidi, omni sapore carentis, evomebat. Andral similem casum enarrat. Etiam vomitus, qui in paucis tantum casibus defuit, signum certum habendus est. Si initio morbi periodice recurrit, victu modico et idoneo saepe potest prohiberi. Aut ille tantum liquor acidus evomitur, aut mucus tenax, colore fusco, aut sine aut cum cibis. Si vero materiae, per os ejectae male olent et saporem putridum, colorem sanguineo-nigrum exhibent, gastritidis chronicae complicationem aut infaustum exitum suspicari licet. Auctore Naumann 3) magnos corporis

---

1) l. c. Bd. II. Abtheil. II. pag. 765.

2) l. c. pag. 58.

3) l. c. pag. 415.

labores vomitus et alvi dejectiones sanguinae sequuntur, a quibus, quamquam inde remanet dyspepsia pertinax et anorexia, aegri post plures hebdomades sanantur. Vomitus matutinus praecipue in morbo nostro occurrere solet. Alvus, quamquam interdum commode deponit, tamen plerumque obstructa, et si diarrhoea exoritur, sedes serosae, mucosae, intermixtae concrementis lymphae plasticae apparent (Lesser). Saepissime autem alvus ternis tantum, quaternisve diebus solvitur et excrementa dura, fusca aut nigra, velut combusta dejiciuntur. Urina turbida, jumentosa, cum albido sedimento.

His signis topicis consensualia accedere solent. Pulsus acceleratus, parvus, tensus, interdum intermittens. Febris, quamquam initio morbi deest, tamen eo provecto apparet, lentae speciem induens, ita ut sub vesperam horrores excitant, pulsus frequentior fiat et durior, calor major, urina rubrior. Talibus exortis symptomatis infaustam complicationem inflammationis jam adesse, dubitari non potest. Tussis consensualis etiam est commemoranda, quae auctore Broussais 1) doloris exacerbationes comitatur et beneficio potus sedantis potius, quam sanguinis detractionibus sedatur. (La phlogose de la membrane muqueuse de l'estomac peut communiquer au poumon une irritation capable de mentir les symptômes de la peripneumonie. Broussais.) Ut Naumannus 2) refert, cutis plerumque est arida, calida, rigida, sudore tenaci, foetenti obtecta, et Broussais 3) transpirationis cutis odorem ei, qualis faecibus esse solet, similem fuisse contendit. Nexum inesse gastritidi chronicae cum systematis nervosi animique morbis, e

---

1) l. c. Tom. III. pag. 482.
2) l. c. pag. 416.
3) l. c. pag. 509.

multis elucet observationibus. Atque etiam **Broussais** dicit 1): Une foule de manies sont produites et entretenues de cette manière. In aegris, animi conditione demissa, languida, tristi, ad melancholiam provectis, post mortem **Broussais** tunicam ventriculi mucosam valde siccam et rubram observavit et talem statum nominavit Phthisie sèche des melancholiques. Inter omnes vero scriptores, qui hunc nexum morborum uberius et accuratius exposuerunt, maxime **Bayle** 2) laudandus est, qui et maniam et melancholiam, praecipue quam fixam vocant, hoc ex fonte emanare contendit. Ex ventriculi et hepatis inflammatione chronica, ubi remediis irritantibus vexata fuerit, melancholiam et vitae taedium exorta esse, **Carré** 3) affirmat. Restant nonnulla symptomata, quae in morbi nostri decursu plerumque observantur: initio corporis nutritio languescit, vires labefactatae, somnus inquietus, postea vero macies totius corporis, color lividus aut subflavus, facies collapsa, dolorosa, miserrima; oedema pedum, ascites, hydrothorax, diarrhoea colliquativa. —

His gastritidis chronicae signis, quae majoris sunt momenti, absolutis, ne cum aliorum morborum symptomatis confundantur, pauca de aliis affectionibus verba facere liceat.

DIAGNOSIS.

I. Gastricismus et febris gastrica.

In his morbis neque dolor ardens in epigastrio neque

---

1) l. c. Tom. III. p. 92.

2) Revue médicale 1827. Août. Novbr.

3) Observations de gastro-hépatites. Mém. de méd. milit. T. XVII.

haec regio tumefacta et dura sed normalis invenitur. Frequentior est nausea quam vomitus, quo, ubi evenit, tantum alimenta et mucus ejiciuntur. Magna cephalaea in gastritide chronica fere nulla.

2. Cardialgia.

Cardialgiae nomen, quo medici antiquiores maximam ventriculi morborum partem designaverunt, novissimo tempore a Broussais plane abjectum est. Hic enim scriptor, cardialgiam nihil aliud quam gastritidem chronicam, aut degenerationem ventriculi esse vult. Cardialgia vero a gastritide chronica valde discrepat natura doloris, quippe qui in cardialgia non est tam continens, sed potius habet paroxysmos et intermissiones. In paroxysmis doloris regio epigastrica introrsum retracta est, in intermissione normalis. Magni momenti remediorum acriorum et stimulantium effectus est, qui, quamvis faustus in cardialgia, in gastritide chronica tamen maxime infaustus est. Aegri in cardialgia ad dolorem imminuendum proni esse malunt manuque abdomen premunt, dum in gastritide attactus omnis dolorem vehementem provocat. (Jahn 1.) Urina in cardialgia spasticam praebet naturam, est enim tenuis et pallida, atque etiam pulsus spasticus. Difficilior autem est diagnosis, si cardialgia in inflammationem transit, quod saepius fieri, certe nemo est, quem fugiat.

3. Induratio ventriculi.

Induratio, quam inflammatio chronica comitari solet, nullis hujus symptomatibus careat, necesse est. Haec vero sunt

---

1) Klinik der chronisch. Krankh. Tom. IV. p. 240.

signa, ad indurationem tantum pertinentia: gastritis, praecipue chronica praegressa, induratio, quae digito premente in epigastrio, per integumenta sentitur, vomitus nimius, qui non solum ciborum ingestionem sequitur, verum etiam sua sponte exoritur, sensus ponderis aut corporis alieni in regione cardiaca.

4. Scirrhus et carcinoma ventriculi.

Hic morbus post mortem inventus est, etsi in aegris nulla fere praebuerat symptomata, aut cum aliis morbis erat confusus. Tales casus commemorant Lisfranc, De Haen 1) Pemberton 2) Guillemard 3) Corrigan 4). Ad hunc morbum cognoscendum, ne unum quidem symptoma esse, quod ventriculi scirrhum denotet, Pemberton, dicit. Aegri, scirrho laborantes de sensu quodam in regione praecordiali queruntur, ac si haec regio acu pungatur, aut de ictibus periodicis, fugacibus, de dolore rodente et urente. Eo, qui regionem cardiacam semper obsidet, dolore, scirrhum ventriculi certissime indicari, Hufelandius 5) affirmat. In scirrho color admodum cachecticus, pulsus rarus, et tardus et parvus, hydropis variae species, materiae, quae vomitu ejiciuntur, plerumque sunt ex fusco nigrescentes, retrimentis coffeae infusae similes, tenaces,

---

1) Rat. med. Vol. IV. p. 182.
2) L. c. p. 72.
3) Mém. de Méd. milit. T. XVII.
4) The Edinb. med. and surg. Journ. 1831 Jul.
5) Enchirid. med. p. 311.

ichorosae. In scirrho et carcinomate omnia alimenta varium post temporis spatium evomi, Wichmannus 1) auctor est.

5. Stricturae tractus intestinalis.

Vomitus, cum intestini, praesertim crassi, stricturas comitatur, multis demum et saepe duodecim horis post coenam ingruit, quo nequaquam cibi, sed mucus albus isque paucus ejicitur, ut ait Wichmann 2). Alvus pertinaciter est obstructa. Dolor, si adest, aliam abdominis regionem obtinet.

6. Calculi fellei.

Maximum in hoc morbo momentum jure faeces habent, quae una cum ictero, qui interdum evadit, certo affectionem hepatis significant. Vomitus rarus, dolor autem vehemens, qui postquam calculi incarcerati viam sibi aperuerunt evanescit.

7. Haematemesis. Gastrorrhagia.

Vomitus cruentus cum ventriculi inflammationem comitatur, ejus in exulcerationem exitum indicat. Sanguis retentus in liene et hepate, suppressio mensium et haemorrhoidum, si vomitum cruentum efficiunt, signis anamnesticis statuque praesente perpensis, cum gastritide chronica vix possunt confundi.

8. Splenitis.

Nausea, vomituritio, vomitus cruentus, quem Marcus 3)

---

1) Ideen zur Diagnostik. Bd. I. p. 92.
2) l. c. Bd. I. p. 95.
3) Spez. Therap. T. II. p. 361.

melaenam acutam designavit, si in splenitide occurrunt, edolore, qui pressu augetur, et tumore regionis lienis, hoc organon laborare, appparet. Copia sanguinis in splenitide major est et nigro colore.

9. Morbi pancreatis.

Pancreas perturbatione digestionis aut hepatis functionis saepe afficitur, ita ut in gastritide chronica saepe parcreatitis chronica, et in scirrho ventriculi pancreas quoque scirrhosum inveniatur. Quum vero pancreatis natura, functio, morbique in tenebris adhuc lateant, diagnosim morborum ejus plerumque, signis negativis fulciri, necesse est. Ex iis, quae scriptores aevi recentioris de pancreatis morbis tradiderunt, pancreas laborare probabile est, si symptomata morbum gravem neque ventriculi neque hepatis, intestini et omenti indicant, si dolor, pressu auctus, sub umbilico ad dorsum progreditur, si vomitus liquoris limpidi aliquamdiu post cibos ingestos, appetentia ciborum ceterum satis bona, oritur.

10. Hepatitis.

Quamquam difficilis est diagnosis, si lobulus sinister hepatis inflammatione correptus est, tamen in hepatitide pulsus non tam parvus et contractus, sensilitas praecordialis minor quam in gastritide chronica. Interdum in hepatitide regio hepatis tumet et dolet, et cutis color plerumque flavescit. Hepatitis saepe in gastritidem exit.

11. Nephritis.

Gastritis ne confundatur cum nephritide, in illa vomitus

quidem saepe oritur, sed dolor in lumbis omnino deest, regio praecordialis vero vehementissime dolet; Insolita urinae copia et natura, symptomata consensualia testiculorum et extremitatum inferiorum, vomitus, qui in nephritide subito et sine ullo nisu et labore oritur, ad diagnosin certiorem reddendam, consulantur.

Alii morbi, quibus interdum unum alterumve est symptoma gastritidis chronicae, ut peritonitis, enteritis, metritis, helminthiasis, quum multum a gastritide chronica differant, hoc loco omittendi sunt.

DIVISIO.

1. Cum cardialgia gastritis chronica haud raro societatem init, ita ut cardialgiae paroxysmi inflammationi intercurrant et saepe medicum non attentum fallant. Berndt 1) Berends 2).

2. Gastritis chronica rheumatica. Praecipue in regionibus septentrionalibus, autumno et vere, et saepius in feminis quam in viris evenit. Febris plerumqe accedit aut cardialgia. Haec inter omnes gastritidis chronicae species indurationem ventriculi facillime provocat.

3. Gastritis chronica venosa s. congestiva. Gastritide acuta praegressa non raro relinquit stagnationem sanguinis in systemate venae portarum et haemorrhoides et menses anomalos. Etiam abusu spirituosorum affertur et tunc pyrosin et vomitum matutinum secum ducere solet.

4. Gastritis chronica metastatica. Initio satis expressis caret symptomatis. Inprimis ex arthritide anomala, suppressione exanthematum chronicorum etc. proficiscitur.

---

1) l. c. pag. 767.

2) Vorles. p. Bd. III. p. 290.

Sedes et locus gastritidis chronicae.

Omnes ventriculi tunicas in gastritide acuta inflammatione corripi Hildenbrandius 1) contendit, de chronicae vero sede scriptores valde inter se discrepant. Inflammatio tunicae mucosae saepissime primaria est habenda, cujus Annesley symptomata haec commemorat: sensum peculiarem, ac si ventriculus rodatur, nauseam, vomitum, anxietatem, pulsum plenum, mollem et debilem; Broussais 2) vero anorexiam, vomitum potus, excretionem imminutam et cutis et renum, alvum obstipatam. Abercrombie 3) inflammationem glandulis et folliculis ventriculi inhaerere censet quae in vesicularum formatione incipiens, in ulcerationem transit, hac quo a gastritide mucosa valde differt. Sed neque haec neque alia signa, quae laudat Abercrombie, ad talem diagnosin statuendam satis possunt. Gastritidem chronicam, quae tunicam muscularem occupat, ex sententia Lesseri dolor vehementior et vomitus semper comitantur, et in hoc casu rheumatismus praegressus aut cum gastritide alternans maxime est respiciendus. Dolor vehemens, pulsus durus et contractus, ut Annesley refert, gastritidem serosam denotat.

Exitus gastritidis chronicae.

Gastritis chronica, quae, si per lysin terminatur, paullatim recedit, longe saepius non resolvitur, sed alios morbos chronicos ventriculi secum ducere et efficere solet, quorum frequentissimi hi sunt.

---

1) Instit. T. III. §. 655.

2) l. c. pag. 124.

3) l. c. pag. 19.

Induratio et crassities tunicae mucosae. Haec induratio varios gradus habere potest. Abercrombie eam vel cartilagineam invenit 1). Etiam tunicarum ventriculi rarificatio et callositas ex gastritide fiunt. Cum vero induratio inflammatur et in ulcerationem est transitura, scirrhus nominatur; carcinoma autem, ubi jam viget ulceratio et secretio ichoris carcinomatosi.

Ulcera ventriculi, quorum potest gastritis chronica fundamentum jacere, secundum Portal 2) et Baillie 3) potissimum e pure, quum in faecibus, sputis et materiis, vomitu ejectis, invenitur, et e ructu male olente praveque sapiente, cognoscuntur. Atque ex ulceribus modo cicatrices modo perforatio proficiscatur.

De gastromalaciae infantum ex gastritide origine scriptores valde dubitant et dissentiunt. Inter multos autores, qui eam ex gastritide fieri, contendunt, nonnullas laudare liceat, ut Wendt 4), Nagel 5), Winter 6), X. Roux 7). Gastromalaciam adultorum ex gastritide nasci, Louis 8) affirmat.

---

1) L. c. pag. 32.

2) Cours d'anatomie etc. Tom. I. p. 199.

3) A. Abhandl. Bd. 20. p 32.

4) l. c.

5) Ueber d. gallertartige Erweichung des Magens (Neue Breslauer Sammlung. Bd. I 1829. pag. 37—76)

6) Chr. Fr. L. Winter Ueber d. wahre Wesen der gallertartigen Magenerweichung etc. Rust's Magazin Bd. XXXIII. Hft. 2. p. 232—328.

7) Quelques considérations sur les perforations spontanées de l'estomac. Paris 1823.

8) Anatom. patholog. Untersuchungen übers. von Bünger. Berlin 1827.

SECTIO CADAVERIS.

Membrana mucosa ventriculi, ubi nullus morbus ejus antecessit, vario colore tincta saepe inventa est vid. Billard 1) et Gendrin 2) cujus ex rubore solo vel sanguinis exsudatione, vel vasis sanguine impletis inflammationem praegressam judicari non probant Spitta 3) John Gelloly 4) Andral 5). Talia enim symptomata et ipsa congestio ventriculi ea, quam dicunt passivam prae se fert. Signum vero gravissimum et certissimum gastritidis chronicae praegressae in amplitudine adaucta membranarum ventriculi cernitur. Membranae enim solito crassiores reperiuntur simulque induratae nec non. Saepius earum crassities octo vel decem erat linearum. Color membranae mucosae aut laete ruber, subflavus, fuscus aut niger cernitur; (le gris ardoisé, le brun et le noir. Andral.) rubor punctatus, striatus aut diffusus, sed circumscriptus sit simulque membranam penetret necesse est. Ventriculus plerumque aëre expansus et dilatatus reperitur, rarius contractus, qualis post gastritidem

---

1) De la membrane muqueuse gastro-intestinale dans l'état sain et dans l'état inflammatoire Paris 1825.

2) Anal. Beschreib. d. Entzünd. u. ihrer Folgen. Uebers. Th. I. pag. 394.

3) Die Leichenöffnung in Bezug auf Pathologie und Diagnostic pag. 280.

4) Observations on the vascular appearance in the human stomach, which is frequently mistaken for inflammation of that organ (Med. chir. Transact. Vol. IV. pag. 371.)

5) Sur les caractères anatomiques de la gastrite chronique. Repert. d'anatom. et de physiol. pathol. 1826. Cah. 1.)

acutam esse solet. Ulcera, scirrhus, alii morbi, si una cum gastritide chronica existunt, quid alieni secum ferant aut efficiant, omittendum hoc loco censeo.

CAUSAE.

Rarius tantum gastritis chronica ante quadragesimum aetatis annum evenit. Cujus proclivitatem, ut Broussais vult, habent homines, qui constitutione gaudent robusta et musculari, quibus est fibra sicca, color subfuscus, aut qui sunt debiles et macidi, qui inveterato laborant cachexiis aut rheumatismo. Inter causas occasionales vitae genus est respiciendum, quare mulieres, quum in eo eligendo plerumque nimiam adhibeant curam, facilius in hunc morbum incidunt, quam mares, qui cibos digestu difficiles non abhorreant. Atque etiam mulierum vestitus, qui ventriculi regionem premit et contra frigorum injuriam non tuetur accusandus est. Morbus, etiam endemice vigens, praecipue terras humidas et paludosas obsessas tenet e. g. Hollandiam, litus maris Baltici (Berndt.)

Immodica ciborum copia, cibi sensibilitatem ventriculi alterantes, quales sunt aromatici, aut quorum fermentatione flatus moventur, potus spirituosorum, remedia acida, emetica, purgantia drastica morbum facillime gignere possunt. Homines irati aut corporis motu calefacti ex spirituosorum aut aquae frigidae potu saepe sibi moliuntur gastritidem. Etiam ciborum potusque abstinentia gastritidem chronicam gignere valet, quod ex illis casibus patet, ubi hic morbus in cadaveribus hominum fame mortuorum inventus est. Saepenumero post febres typhosas aut putridas, quae systematis nervosi vim frangunt, qua ad circulationem sanguinis opus est, hujus stasin in vasis capillaribus ventriculi indeque inflammationem chronicam gigni

Naumannus auctor est 1). Animi affectus deprimentes, qui per consensum nervos ventriculi magis magisque debilitant, pedes frigidi, abdominis refrigerium; tempestas mutata gastritidem possunt excitare.

Causae, secundario modo ad provocandam gastritidem chronicam valentes, haemorrhoides, menses, sudores suppressi, exanthemata regressa nominari possunt, praecipue vero metastases arthriticae et rheumaticae sunt nominandae.

PROGNOSIS.

Morbus plerumque per menses, imo per annos, modo mitior modo vehementior existere solet. Quoniam autem ventriculus ex ejus ratione physiologica multis irritamentis semper infestatur, haec perpetua irritatio gastritidi sanandae maximo est impedimento. Qua de causa gastritis chronica sponte sua nullo modo evanescit ac ne medicaminibus quidem cedit, quae, quamquam ad tempus levamen, tamen curam radicalem rarissime efficiunt. Initium morbi raro dignoscitur et saepe morbus cum aliis confunditur. Cum vero complicationes aut sequelae eum manifestant, tum tempus aptum jam praeteriit. Causae disponentes et occasionales jam supra laudatae, quum difficile sunt removendae, morbum magis magisque adaugeant, necesse est. Causis vero non sublatis morbus non tollitur. Sanatum tamen esse morbum, et quidem ex pedum sudoribus et herpete suppressis exortum, cum dyspepsia et cardialgia conjunctum Becker refert. Ex sola gastritide chronica mors adduci non potest, saepissime tamen ex ejus sequelis, inter quas exulceratio, in-

1) L. c. p. 464.

duratio, scirrhus, carcinoma, perforatio vestriculi memoratu sunt dignissima.

CURA.

Causarum singularium ratione habita, quibus gastritis chronica originem debet, morbum ipsum secundum naturam suam gradum, symptomata curare oportet. Perversa diaeta, si morbum suscitat augetque, eum in modum est mutanda ut nutrimenta perpauca et quidem magis liquida quam solida, neque irritantia neque roborantia, assumantur. Etiam a remediis, si iis non opus est, a potu spirituosorum et coffeae est abstinendum. Debellata vero inflammatione, ubi ventriculi debilitas tantum et atonia remansit, vini canariensis modicum usum Sydenham magnopere laudat. Lactis usum, secundum methodum Valsalvae adhibitum, omnes fere medici, inter quos Naumann, Abercrombie, Berndt nominasse sufficiat, laudibus efferrunt. Ad potum quotidianum alii medici lac cum jusculo carnis, alii lac cum aqua Selterana alii serum lactis tamarindorum commendant. Fugiendae sunt tum corporis tum animi commotiones vehementes. Cavendum est omne refrigerium. In morbo nostro, si pendet ab haemorrhoidibus et mensibus suppressis, aut si cum morbo praecipue atrabilari cohaeret, hirudines ad anum aut ad genitalia saepius applicare oportet et aquae minerales, caute adhibitae, in usum sunt vocandae. Arthritis, rheumatismus, alii denique morbi, si quidem gastritidi chronicae subsunt, removeantur et coerceantur.

Jam vero ad ipsam gastritidem chronicam debellandam multa remedia sunt laudata, sed ea tantum nominabo, quae a medicis, quibus praecipue fides est habenda, sunt commendata. Nunquam venaesectione, sed potius hirudinibus aut cucurbitulis epigastrio impositis et saepius repetitis opus est.

Unguentum hydrargyri cinereum infricandum est regioni epigastricae, cui etiam inunctiones irritantes e. g. unguentum e tart. stib. sinapismi, vesicatoria, moxae, fonticuli felici cum eventu applicari possunt. Etiam balnea universalia salutarem revulsionem ad cutem excitantia, magnam saepe utilitatem praebuerunt. Ad obstructionem in usum internum vocandae sunt emulsiones ex oleo Ricini cum salibus antiphlogisticis mitioribus, ut natro phosphorico, tartaro natronato etc. Vomitus saturationibus Kalinis, dolor aqua Laurocerasi, quae internis remediis additur, est sedandus. Diarrhoea remediis involventibus et sedantibus curetur necesse est. Contra ipsam inflammationem glacies, aut sub forma pilularum aut cupediarum glaciatarum, quam tunica ventriculi mucosa vix ferre videtur, probari non potest. Extractum belladonnae, conii, cum extracti taraxaci aut graminis solutione a Berndtio commendatur, qui etiam, si ventriculus remedia sustinet, hanc formulam praescribit.

Rp. Saponis medicati ℥jj
Calomelanos ʒß
Opii ℈ß
M. f. pilulae gr. jj.
S. Mane et vespere tres pil. sumantur.

Hydrargyri muriatici mitis et hydrargyri zootici usus et a multis medicis laudatur et a multis vituperatur. Argentum nitricum, a medicis anglicis primo adhibitum, H. Autenrieth quam maxime commendat, quum hoc remedium ventriculi nimiam irritabilitatem ejusque ardorem specifico quasi modo tollat. Eodem remedio ventriculi affectiones metastaticas, quae praecipue arthritidi originem debeant aut cum vomitu sint conjunctae, sanari Mueller 1) affirmat.

---

1) Diss. de usu argenti nitr. in morb. ventriculi. Tübg. 1829.

Abercrombie opium, gummi Kino, alumen, radicem ratanhiae sed ut nobis videtur, sine ulla justa indicatione commendat. Ferrum sulphuricum praecipue laudatur, quod cum chinino et opio conjunctum, N a u m a n n hacce formula praescribere suadet.

Rp. Ferri sulphurici
Chinini sulphurici a. a. gr. j
Extracti opii aquosi gr. ¼
Sacchari albi ℈β
MF. pulv. S. bis vel ter per diem dosis sumatur.

In iis casibus, ubi magisterium Bismuthi felici cum eventu adhibitum est, gastritis chronica sine dubio non adfuit sed potius cardialgia, quam optime bismutho curari nemo est, qui neget. Solutio etiam arsenicalis cum aqua cinnam, in gastritide, praecipue ex febribus intermittentibus, arthritide, rheumatismo inveterato orta, est commendata.

Complicationum curatio pro natura earum est instituenda; itemque sequelae pro indole sua removendae.

VITA.

Ego Carolus Augustus Scholl, Blumenthalensis natus sum die XXIII mensis Octobris, anni 1814 patre Joanne Ernesto Scholl pharmacopola et matre Ludovica e gente Overkott, quos parentes adhuc inter vivos pio animo veneror. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium, quod floret Monasterii Eifliae, per duos annos frequentavi, quo relicto, gymnasium Wetzlariense adii, ubi per tres annos commoratus sum. Unde testimonio maturitatis dimissus, per annum in patris officina rebus pharmaceuticis operam dedi. Deinde vere anni MDCCCXXXV ad universitatem litterariam Bonnensem me contuli, ibique a Rectore t. t. magnifico Naeke civium academicorum numero adscriptus nomen apud Cl. E. Bischoff t. t. ordinis medicorum decanum spectabilem professus sum.

Hae sunt, quas per tres annos et dimidium ibi frequentavi scholas:

A. Philosophicae.

De logice et psychologia Ill. van Calcker; de physice experimentali beat. a Münchow; de chemia experimentali, phytochemia et zoochemia Ill. G. Bischoff; de botanice Ill. Treviranum; zoologia et zootomia Ill. Goldfuss; de mineralogia Ill. Noeggerath.

B. Medicae.

De anatomia generali et speciali Ill. Mayer et Ill. Weber, qui iidem mihi in cadaveribus dissecandis duces fuerunt; de physiologia Ill. Weber; de encyclopaedia et methodologia medica, pathologia generali, materia medica Ill. Albers; de therapia generali et speciali, anthropologia, de casibus clinicis, de curanda insania Ill. Fr. Nasse; de chirurgia, akiurgia, de morbis oculi humani, anatomia chirurgica, doctrina de fasciis Ill. Wutzer; de arte obstetricia, doctrina de instrumentis obstetriciis, de ossibus fractis et luxatis Ill. Kilian. In clinico propaedeutico per semestre et in therapeutico per annum Ill. Fr. Nasse dux mihi fuit gravissimus; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per unum semestre auscultanti mihi, et per unum aegros curanti Ill. Wutzer; atque in clinico obstetricio per unum semestre auscultanti et per unum munus obstetricium perficienti mihi et in exercitationibus in phantomate instituendis Ill. Kilian duces fuerunt.

Auctumno anni MDCCCXXXVIII civibus universitatis literariae Fridericae Guilelmae adscriptus a Rectore

t. t. magnifico Ill. Mueller, nomen dedi Decano t. t. spectabili Ill. Schultz. Praeterea scholis clinicis chirurgicis Cel. Rust; ophthalmiatricis Cel. Juengken interfui. De physiologia Cel. Schultz et de medicina forensi Cel. Wagner disserentes audivi. —

In cohorte sexta legionis ejus, quae cognomine Alexandri imperatoris salutatur, chirurgi militaris voluntarii munere per annum functus sum, duce viro Cel. Richter, ut reipublicae legi satisfaciam.

Praeceptoribus vero omnibus, optime de me meritis, gratias habeo semperque habebo quantas possum maximas.

Tentaminibus tam philosophico, quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. In morbis chronicis semper adest aliqua degeneratio.
2. Phthisis tuberculosa non ex pneumonia originem ducit.
3. Endosmosis et exosmosis in corporis vivi oeconomia non exstant.
4. Sine auscultatione certa organorum pectoralium morborum nulla diagnosis.
5. Succus gastricus parum ad ciborum concoctionem valet.
6. Trepanatio nisi recentibus cranii laesionibus non indicatur.
7. Resectio in articulis spuriis reliquis praeferenda est methodis.